Krupecki Andreae: Quaestio iuridica de immunitate ecclesiastica.

✠

IN NOMINE DOMINI AMEN.

QVÆSTIO IVRIDICA.

De Immunitate Ecclesiastica.

Ad c. Inter alia. De Imm: Eccl. &c. iunct. L. Præsenti. C. De his qui ad Eccl. conf.

SVB AVSPICIIS,

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS,

SERENISSIMI ac INVICTISSIMI PRINCIPIS,

IOANNIS III.

DEI GRATIA POLONIARVM REGIS, Magni Ducis Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiiouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ, Czerniechouiæq; Domini, Domini Clementissimi

PROTECTIONE

CELSISSIMI PRÆSVLIS & PRINCIPIS

Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini,

D. IOANNIS

DE MAŁACHOWICE

MAŁACHOWSKI,

DEI, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Episcopi Cracouiensis, Ducis Seueriæ, Almæ Vniuersitatis Studii Generalis Cracouiensis CANCELLARII FAVENTISSIMI.

in flo-

5.

in florentissima Illustrium Hospitum corona.

A

Perillustri, & Admodùm Reuerendo Domino,

D. M. SEBASTIANO PISKORSKI,

I. V. Doctore & Professore, Ecclesiæ Collegiatæ Sanctorum Omnium Cracouiæ Archidiacono, Vielunensi Canonico, Inclytæ Facultatis Iuridicæ PROCANCELLARIO, & in Actu PROMOTORE,

Clarissimis, & Admodùm Reuerendis Dominis, J. V. Licentiatis & Professoribus, Domûs DD. Jure-Consultorum Collegis,

M. ANDREÆ KRVPECKI,

Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Cracou: Cancellario,

M. IOANNI EKART,

Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Cracou: Primicerio.

M. ADAMO STYRKOWSKI,

Ecclesiæ Collegiatæ Tarnouien. Primicerio.

DVM

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORES,

ritu & forma solenni

RENVNTIARENTVR;

in Ecclesia Collegiata Sanctorũ Omnium Crac: Publicè ad decidendum

COMMISSA.

& à præfato

M. ANDREA KRVPECKI, I. V. Licentiato

in lucem publicam

EDITA.

Anno Domini M. DC. XCII. *Die* XXVII. *Martij.*

CRACOVIÆ, Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Reuerendiss. D. Episcopi Crac. Ducis Seueriæ. Necnon Schol. Nouod. Typogr.

SERENISSIMO ac INVICTISSIMO
PRINCIPI,

IOANNI III.

DEI GRATIA

REGI POLONIARVM,

Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolensciæ, Liuoniæ, Seueriæ, Czerniechouiæ, &c. &c.

Domino, Domino Clementissimo.

IMmunitatis Ecclesiasticæ assertionem, inter Laureas Iagellonicas euictam, Triumphali Clypeo TVO, Martialibus onusto Laureis Maxime REGVM, tantò iustius deferimus, quantò verius diceris, haberisq; totius Christianitatis Vindex, & Assertor, Principum in terris, Diuinas vices agentium, Sæculi nostri confessione, & Orbis iudicio, Idea, Triumphus, & Corona. Supremus Ecclesiæ Triumphantis Princeps, in cuius manibus Sortes Regnorum sunt, vt ad conseruationem totius concurrit vniuersi, ita Diuinæ suæ in terris prouidentiæ, Administros, infallibili lege, mundo prouidet, ceu Magni consilii & fortitudinis Angelos, qui Orbem, & Militantem Ecclesiã, conseruent & protegant. Nimirum Principes Ministri DEI sunt, curæ, & Saluti hominum destinati, lætis mæstisq; rebus propitii, Atlantes Regnorum, prudentiâ & irrequietâ solicitudine, ingentes Rerum-

publicarum Orbes sustentantes, Argi centoculi, sublimi Maiestate suâ, omnium commodis prospicientes, validâ manu arcentes pericula, & velut Motrices Sublunarium Orbium Intelligentiæ, ad quarũ motum & nutum, totius mundi voluitur machina, Sortisq; & Martis obtinet conuersiones. Tam Augustum, tam Solicitum Principatûs negotium, destinatione superûm ô REX Potentissime, suscepisti eâ animi magnitudine, quâ fatis & votis omnium responderes, adeò ingentibus ausis faustisq; successibus, vt spem de Te conceptã absolueres, superaresq; ad Stuporem æui præsentis, exemplum venerationem, vel inuidiam posterorum, ex quo nimirùm boni Superi, Te rebus Sarmaticis admouerunt, illâ tẽporum calamitate, cum Oriens tonans, ingentes Gigantes Asiæ, totamque Rhodopen, ferro & igne, Nos contra armauit, fuisti rebus Nostris, Stator, Iuppiter, & eam prodigiosam Orbis Gigantomachiam, Cælis & terris inimicam, Clypeo, & fulmine Tuo repressisti. Ita vicisti Gentes, immanitate barbaras, numero infinitas, multâ strage deformes. Ostendisti Orbi, Tyrannum Orientis, Polonâ virtute loco moueri, vinciq; posse; cui inusitatum erat, terris illis cedere, quas sonipedis sui, vngula tetigisset. Populi illi, qui Istrum, Danubiumque bibunt, nunquam illimem hausêre, sed hostili cruore tinctum, turpi tabo infectum, referentemque plenis alueis, ingentia hostium cadauera, in testimonium Triumphorum Tuorum, omnibus terris illis, quascunque hoc fluidum, adire potest elementum. Nec hostem duntaxat domi, quod inertium est, sæpiùs expectâsti, intima Tauricæ, & viscera hostilitatis ingressus, terruisti Gentes, atque adeò, cùm Orientem triumphis imple-

 uisses,

uiſſes, Occidentem & Auſtrum peragrâſti, vbique triumphans & Salutare Numen. Vienna certè vi Byzantinâ oppreſſa, vindicem Te Salutis ſuæ, Orbis habet teſtimonio, Tibi non Ciuicas tantùm, Obſidionales, vel Caſtrenſes, ſed omnes Coronas, omnia Stephanomata debet, quod Sacris Sedibus ſuis, deiecit, Odryziæ cornua Lunæ, quod illi ſub triumphali vmbone Tuo, licuit triumphare. Magni olim Agamemnonis voto, decem Neſtores expugnandæ Troiæ poſcebantur. Tu vnus REX IOANNES, propugnandæ Viennæ ſuffeciſti. Auſtriacis Pannonicisq; Triumphis tantò illuſtrior, quantò certius rẽ illâ tempeſtate, pro Deo egiſti, pro vindiciis Sociorum, Salute tot gentium, & Orbis Chriſtiani libertate. vetuſtioris quondam ſeculi induſtriâ, pugnacis Scuto Achillis, Centaurorum Lapitharũq; labores, & totam ſolicitè inſculpſit Gigantomachiam, porro Scuto Regali Tuo, verior penna famæ, Otthomanicos, Scythicos, Pannonicoſq; Triumphos, aureis inſcripſit characteribus, quod non in Gradiui aut Alcidæ delubris, ſed in Capitolio immortalis gloriæ, appendit. Tibi Patri Patriæ, & Triumphatori glorioſiſſimo. Sacra Quirinalis, & Vaticana Maieſtas, INNOCENTII XI. Pontificis Maximi, audito hoc incõparabili de Tyranno Orientis, ad Viennam triũpho, vbi REX, & Bellator, & Victor fuiſti, quas Cælo? quas Tibi gratias egit deditque? teſtis eſt Princeps Vrbium, & Gentium Roma, inter Triumphales arcus & ignes, Tuis aſſurgens applaudenſque Triumphis, quæ priſca gloriæ ſuæ monumenta, & Orbis ſubacti gubernium, velut fabuloſam, cenſuit antiquitatem, attonita, ad inauditum hactenus, vindicati Orbis Chriſtiani, inuictâ dexterâ Tuâ, nuntium. Quidni

ergo in ludis Noſtris Olympicis, triumphans Immunitas Eccleſiaſtica, ad Tuæ Maieſtatis properet Celſitudinem? cuius in Campo Martio, contra Orbis, & Erebi Monſtra, ſtetiſti ſemper vindex, fuiſti Aſſertor, Scutum, Antemurale Chriſtianitatis, & Aſylum. Quidni Iagellonica Noſtra Pallas, Laureas ſuas Maieſtati Tuæ ſubmittat profundiſſimè? quas toties ſeruaſti ab æſtu, & feciſti immunes periculis. Originem quidem Noſtram Diuis Iagellonibus, ſed protectionem & conſeruationem, Tibi ô REX debemus, qui non tantùm Muſarum Noſtrarum Sedes, Maieſtatis Tuæ dignatione protegis, ſed Aras etiam Diuûm, & Ædes S. ANNÆ & IOANNIS CANTII, Tuâ Regiâ munificentiâ è ruderibus ſuis in altum erigis, aureiſque Triumphorum Tuorum, exornas monumentis. Ad fimbriam igitur Auguſtæ Purpuræ Tuæ, Doctorales Laureas Noſtras, profundiſſimè aduoluimus, exoſculamur Principem Regiam dexteram Tuam, mille triumphis plenam, & Regali Clypeo Tuo, pagellam hanc Immunitatis Eccleſiaſticæ, inter Triumphorum Tuorum decora, appendimus. Suſcipe Maxime Regum, minimam hanc laboris & ingenii, coram Maieſtate Tua portionem, quam votis omnibus abſolutam, inter maximas Orbis curas, more Summi Tonantis, cuius in Terris vices geris, ima non deſpiciens, in faſtigio gloriæ, faſtis perennibus conſignatam, æternùm manſuris adiunge Splendoribus.

Sacræ Regiæ Maieſtatis Veſtræ

ſubditus humillimus

ANDREAS KRVPECKI, V.I.L.

QVÆSTIO IVRIDICA.

VImmunitas Ecclesiastica, DEI ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constituta, Personis, rebus Ecclesiasticis, locisque certis competens, Reo ad Ecclesiam, aut alium pium locum confugienti, Ius asyli tribuat; quominùs inde extrahi; pænisque ordinariis per Iudicem propriũ affici queat; nec ne?

CONCLVSIO I.

IMmunitas Ecclesiastica, DEI ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constituta est.

c. Quanquam. De Censibus in 6. ibiq; glos. v. Humano. v. Diuino. v. Constitutionem. Concil. Trident. Sess. 25. cap. 20. de reform.

COROLLARIVM I.

IMmunitas Ecclesiastica est Ius, quo Ecclesiæ, aliaque pia loca, resque eò pertinentes, & Personæ, ab oneribus ac Officiis secularibus, omnique iniuria liberæ & immunes sunt.

can: In qualibet. can: Secundum. can: Sancitum. 23. Quæst. 8. c. 1. 4. & sequen: De Immunit. Eccl. c. 1. eod. in 6. L. Sancimus. L. Placet. L. Ad instructiones. C. De Sacrosanct. Eccl.

COROLLARIUM II.

CONstitutiones Christianorum Principum, Immunitatem Ecclesiasticam legitimè asserentes, inter Canones receptæ, ac ab Ecclesia approbatæ; sacrosanctè obseruandæ sunt.

(1.) *can. Generaliter. §. Placet. 16. Q. 1. glos. in d. c. Quanquam. v Ciuili. Gregorius 1. Lib. 8. Ep. 64. & Lib. 11. Ep. 56. Concil. Constantien: post vlt: Sess: in Confirmatione Constit: Imperialium d. L. Placet. & L. Non soleat. C. De Sacrosanct. Eccl: Constit: Friderici II. Imperat: lib: 2. Feud: ab Honorio Summo Pontifice confirmata.*

COROLLARIUM III.

LEges Secularium non possunt quidquam directè & in specie disponere in præiudicium Cleri & Immunitatis Ecclesiasticæ: quod si de facto ferantur, siue Sententiæ, siue Constitutiones tales à Secularibus Ecclesias collectantibus, sunt ipso iure nullæ, nulloque tempore conualescunt. (1) Iuramenta quoque contra libertatem Ecclesiæ à Clericis facta nulla pariter sunt, & seruari non debent (2)

1. c. Aduersus. De Imm. Eccl. c. 3. 4. & fin. eod. in 6. 2. c. 1. De Iureiuran: in 6.

COROLLARIUM IV.

STatuta contra Immunitatem Ecclesiasticam scribentes, vel seruantes, aut secundùm ea iudicantes, incurrunt pænam excomunicationis (1.) Similiter bona Ecclesiastica inuadentes, (2.) eorumq; iura, fructus, emolumenta, redditus, quocunq; prætextu vsurpantes, aut impedientes nè percipiantur; excomunicatione innodantur, nonnisi restitutione facta absoluendi ab ipso Summo Pontifice. Patronus Ecclesiæ id faciens Iure-Patronatus priuatur; Beneficiatus verò destituitur, & ad alia inhabilis efficitur; ab Ordi-

Ordinum verò executione Ordinarij arbitrio suspenditur. (3.)

1. c. *Nouerit. De Sent. Excom. 2. can. In canonibus. & can. Similiter. 16. Q. 1. 3. Concil: Trident: Sess: 22. cap. 11. de ref. Quod Decretum Constitutiones Prouinciales huius Regni Gembicianæ quotannis primâ Dominicâ Aduentûs & Quadragesimæ, publicare populo ad Diuina congregato, & descriptum vernaculâ linguâ, foribus Ecclesiæ affigi mandant c. 4. De Imm. Eccl. Adde Bullam Cænæ Domini.*

COROLLARIVM V.

ORdinarijs incumbit defensio Immunitatis Ecclesiasticæ, (1.) id ipsum muneris Regum est, aliorumq; Dominorum temporalium & Iudicum Secularium. (2.) Decet enim Principes Christianos, vt quò largius bonis temporalibus atque in alios potestate, sunt ornati; eò sanctius, quæ Ecclesiastici iuris sunt, tanquam Dei præcepta, eiusque patrocinio tecta venerentur; ac seuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iurisdictionem impediunt, animaduertant; quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem religionem Ecclesiarumque protectionem existant. (3.)

1. c. *Decet Domum. §. Ordinarij. c. Clericis. §. Nos igitur. De Imm. Eccl. 2. Concil. Parisien: Lib. 2. cap. 2. can. Ecclesiæ meæ. Distin: 97. can. Non inuenitur. 23. Q. 4. 3. Concil: Trid: Sess: 25. cap. 20. de ref.*

CONCLVSIO II.

IMmunitas Ecclesiastica, aut est Personalis; quæ Ecclesiasticis Personis, aut Realis, quæ earum rebus; aut Localis quæ locis certis competit.

can. 1. & 3. Dist. 88. can. Cyprianus. 21. Q. 3. c. 4. Ne Clerici vel Monachi. c. Non minùs. c. Aduersùs. De Imm. Eccl. c. 1. & 3. eod. in 6. Clem. 1. eod. c. Sancitum. De Censibus. c. Ecclesiæ. c. Inter alia. & fin. De Imm. Eccl.

COROLLARIVM I.

IMmunitas Personalis Clericorum comprehendit Priuilegium Canonis & fori: exemptionem ab oneribus tam personali-

 bus

bus quàm realibus, & ab obseruatione legum Ciuilium, de materia Ecclesiastica, aut pro solis secularibus constitutarum: tum libertatem à muneribus publicis secularibus.

can. Si quis Suadente. 17. Q. 4. t. t. De foro competen: d. can. Generaliter. d. c. Non minus. & c. Aduersùs. & c. Clericis: De Imm. Eccl. in 6. can. fin. Dist: 86.

COROLLARIVM II.

CLerici ad contributiones publicas à Secularibus laudatas, etiam stante necessitate minimè tenentur; nisi concurrant quatuor ista. Primò, vt necessitas vel vtilitas sit publica, quæ æquè principaliter ac directè statum Ecclesiasticum ac Secularem concernat. Secundò, vt Laicorum non sufficiant facultates. Tertiò, vt talis Contributio non imponatur Ecclesiasticis authoritate Magistratûs Secularis; sed Ecclesiastici, cum consensu Cleri. Quartò, vt Summus Pontifex desuper consulatur; nisi periculum in mora fuerit.

d. c. Non minus. c. Aduersùs. e. t. Barbosa. De Iure Eccl. vniuer. Lib: 1. cap: 39. vbi & Decisio Rotæ inserta.

COROLLARIVM III.

IMmunitas Ecclesiastica Realis, res Clericorum, à quibusuis vectigalibus, aliisque huiusmodi grauaminibus eximit, quæ nimirùm causâ Ecclesiæ, vsusque proprij eorum, non verò negotiationis intuitu aliquò deferuntur. (1.) Simili Priuilegio gaudent Doctores, & Studentes in Vniuersitatibus generalium Studiorum; in specie Vniuersitatis Cracoviensis. (2.)

1. d. c. Non minùs. c. Quanquam. De Censibus in 6. ibiq́ glos. v. Negotiandi. 2. Statutum Regni v. Schola Cracovien.

COROLLARIVM IV.

LOcalis Immunitas Ecclesiastica prohibet, ne in Ecclesijs exerceantur Iudicia, non tantùm Criminalia, sed etiam Ciuilia Secularia: Consultationes de rebus merè temporalibus, Contractus, & negotiationes; conuiuia, ludi theatrales prophani, violentiæ, Musicæ, cantusuè lasciui & impurum quid admixtum habentes, omnia deniq; Diuinum officium perturbantia.

c. Cum

c. Cum Ecclesia. c. Decet. De Imm. Eccl. c. Cum decorem. De vita & honest: Cler: can. Non potest. Dist: 42. & per totum 17. Q. 4. Concil: Trid: Sess. 22. in Decreto. De obseruandis in celebr: Missæ.

COROLLARIVM V.

PRæiudicia Immunitati Ecclesiasticæ irrogata, etiam per conniuentiam tolerata; nullum Ius sortiuntur, nec iuuantur præscriptione longissimi temporis, nec permissione, neque impressione Librorum talia grauamina Ecclesijs per longam moram illata, continentium.

Vrbanus VIII. Constit: Romanus Pontifex in append. 2.

CONCLVSIO III.

IMmunitas Ecclesiastica Reo ad Ecclesiam etiam necdum consecratam, vel alium pium locum confugienti tribuit Ius asyli, in casibus non exceptis.

d. c. Inter alia. can. Reum. & can. Frater. 17. Q. 4. c. Ecclesiæ. De Imm. Eccl. ibidemq́ glos. v. Celebrantur. & glos. in c. fin: De Consecr. Eccl. v. Non consecrata. Gregorius XIV. Constit: Cum alias.

COROLLARIVM I.

IVs asyli competit non tantùm Ecclesijs, sed etiam Monasterijs, alijsue eiusmodi locis pijs: Similiter Palatijs Cardinalium, Episcoporum, domibus Clericorum Ecclesiæ continguis, insuper Palatijs & Statuis Principum de Iure Ciuili, Collegijs Doctorum & Studentium, speciali Priuilegio etiam vniuersitati Studii Cracouien: concesso.

d. c. Inter alia. can. Diffiniuit. & Sequen: 16. Q. 4. c. Ad hæc. De Relig: Dom: t. t. C. De his qui fugiunt ad Eccl. L. Qui ad statuas C. De his qui ad Statuas confugiunt. Statutum Regni v. Schola.

COROLLARIVM II.

NOmine Ecclesiæ, quoad Ius asyli continetur non solùm ambitus totaque fabrica, verùm etiam porticus, & atria eius-

 dem,

dem, Cæmeteria: nec non Oratoria authoritate Episcopi erecta. (1.) Quo Iure gaudent etiam Ecclesiæ vetustate, aut incendio seu bello desolatæ, dummodò authoritate Superioris Ecclesiastici destructæ non sint, earumq; reparatio speretur. (2.) Secùs est in Oratoriis seu Capellis priuatorum Palatiorum, ac ædium, quibus talis immunitas haud suffragatur. (3.)

1. c. fin: De Imm. Eccl. can: Id constituimus. 17. Q. 4. d. c. Ad hæc. c. Patentibus. De Priuilegiis. c. penult. De Imm. Eccl. 2. Barbosa Iuris Eccl. vniuersi Lib: 2. cap: 3. n. 59. 62. 72. 3. S. Congreg. Imm. in Marsicana 17. Nouembr. 1617. Eadem in Perusina 9. Decembr: 1631. Clarus. Lib: 5. §. fin: n. 7.

COROLLARIVM III.

SIcut Clericus excommunicatus, suspensus, vel interdictus nō amittit Priuilegium Immunitatis; ita & Ecclesia interdicta aut polluta, necdum reconciliata non priuatur eodem iure, nisi quoad Diuina officia in ea celebranda, & sepulturam Ecclesiasticam.

can: Additum. Dist: 81. c. Atsi Clerici. De Iudiciis Abb: in d. c. Ecclesiæ. De Imm. Eccl.

COROLLARIVM IV.

COnfugiens ad Ecclesiam, condemnatus ad triremes (1.) effringens carceres, ad supplicium mortis ductus, (2.) quantumuis vinctus & catenis ligatus, (3.) vel stipiti portæ Ecclesiæ innixus, (4.) aut muro Ecclesiæ adhærens, (5.) parietem aut seras valuarum apprehendens, (6.) valuis vnico pede & vnica manu cohærens, (7) captus in ianua Conuentus seu Monasterii, (8.) aut in platea Cathedralis Ecclesiæ, (9) vestem Sacerdotis SS. Sacramentum deferentis, aut baldachinum apprehendens, vel se comitantibus Venerabile Sacramentum immiscens, (10) gaudet iure asyli, tam Clericus quàm Laicus, (11.) non tamen qui de manibus capientium non elapsus est, sed eos ad Ecclesiam secum traxit. (12.)

1. S. Congreg. Imm: in Aglonen: 22. Iunii 1660. 2. eadem in Romana

mana 11. Febr: 1648. in Vallisoletana 1627. 3. in Beneuent: 6. Mai 1653. 4. in Amerina 28. Mai 1625. 5. in eadem Amerina 18. Febr. 1632. & in Camerinen: 15. Iulii 1657. 6. S. Congr: Episcoporum 31. Martii 1604. & 18. Iulii 1614. 20. Decembr: 1616. 7. S. Congreg: Imm: in Brundusina 4. Septembr: 1643. eadem in Caputaquen: 7. Septemb: 1638. 8. in Roßanen: 18. Febr: 1653. 9. in Narmen: 17. Iulii 1663. 10. in Militen: 28. Mai 1626. & 30. Septemb: 1636. in Tranea: 19. Iunii 1635. 11. S. Congr: Episcoporum in Fauentina 20. Aug. 1601. in Tropien: 24. Ianuar. 1617. 12. S. Congr: Imm: in Florentina 6. Nouemb: 1634. & in Aletrina 2. Martii 1660. Iacobus Pinatelli Tom: 8. Consult: 116.

COROLLARIUM V.

AD Ecclesiam confugientes, à Clericis recipi, defendi, sub protectione teneri, (1.) si aliunde non habeant, alimentis ex charitate prouideri, (2.) à nullo rebus suis spoliari, (3.) aut aliquâ iniuriâ affici, (4.) nec expelli, (5.) nec in compedibus aut ligati ibidem retineri, (6.) neq; obsideri, (7.) non victualibus prohibitis, inediâ premi debent, (8.) & qui pro pecunia accepta eos eiecerit, deponendus est Clericus, (9.) in Ecclesia verò custodientes Laici excommunicantur. (10.) Qui inimicum suum occidit, & ipse letaliter ab eo vulneratus per amicos ad Ecclesiam deductus est, si ab iisdem metu pœnarum, quas illis Iudex Laicus comminabatur, ex Ecclesia educatur, & Iudici consignetur, restitui ab eodem Ecclesiæ debet. (11.)

1. can. Eos. Dist: 87. can: Miror. can: Diffiniuit: can: Sicut antiquitùs. 16. Q. 4. can: Reos. 23. can: Irreligiosum. Dist: 87. 2. can: Ipsa pietas. 23. Q. 4. Abb. in d. c. Inter alia 3. Concil: Mediolanen: 1. p. 2. Tit: De Ecclesiis & earum cultu. 4. can: Nullus Clericorum. 17. Q. 3. Concil. Ilerden: c. 8. 5. can: De raptoribus. 36. Q. 1. d. c. Inter alia. 6. S. Congr: Imm. in Consentina 11. Iunii 1627. 7. can. Non satis. Dist: 86. S. Congr. in Neapolit: 22. Iunii 1627. 8. L. Præsenti C. De his. 9. c. Qui alium. De Simonia. 10. S. Congr. in Amerina. 4. Decemb. 1629. 11. S. Congr: Imm. in Sabinen: 18. Iunii 1669.

CONCLVSIO IV.

AD asylum, hoc est locum Sacrum, pium, aut Priuilegiatum confugiens, non potest inde violenter extrahi.

d. c. Inter alia. d. can. Reum. & can. Frater 17. Q. 4. L. Fideli. C. De his qui ad Ecclesiam. d. L. Qui ad statuas.

COROLLARIVM I.

NOn gaudent hâc immunitate latrones publici, viarum grassatores, publicas stratas obsidentes, viatorum ex insidiis aggressores, agrorum depopulatores, quiuè homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumuè Cæmiteriis committunt, qui proditoriè proximum suum occiderunt, assasini, hæresis, aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis Rei. (1.) Similiter Mater Filium infantem occidens, vel malis medicamentis abortum procurans (2.) milites hæreticorum castra sequentes contra Catholicos. (3.) apostatæ à fide, & suspecti de hæresi. (4.)

1. d. c. Inter alia Constit: Gregorii 14. Cum alias. 2. S. Congreg: Concil: 13. Decemb. 1632. & 30. Decemb. 1632. 3. Jacobus Pignatelli Tomo 8. Consult. 138. 4. Ioann: XXII. Constit. 1. Ex parte.

COROLLARIVM II.

INterfector Clerici, aut mandans in Ecclesia existentem occidi vel ipsemet in Ecclesia existens, si alium extra Ecclesiam, aut in Cæmeterio sub spe immunitatis occidat, non meretur Ius asyli. (1.) Secus est si attentans occidere vel mutilare, actum non perficiat. (2.)

1. c. fin. De Imm. Eccl. 2. S. Congr. Episcoporum 22. Januar. 1627.

COROLLARIVM III.

QVamuis serui restituendi sint Dominis suis fugientes ad Ecclesiam, (1.) non alias tamen nisi habita cautione de libertate eorum à morte, mutilatione, aliisque pænis. (2.) Cæterùm

rum Decoctores Regiæ Cameræ extrahi inde possunt, carceribusque Ecclesiasticis mancipari, donec integrè persoluant. (3.) Iudæi quoque & Infideles, si exceptorum criminum non sunt rei, nec blasphæmiam hæreticalem commiserunt, tantò magis si baptizari non fictè petant, non excluduntur ab hoc iure immunitatis. (4.)

1. can. Eos. Dist. 87. can. Metuentes. 17. Q. 3. can. Vxor. c. Inter alia. De Imm. Eccl. 2. d. can. Id constituimus. & can. Diffiniuit. Concil. Aurel. 1. c. 3. & 4. c. 21. 3. S. Congr. Imm. in Neapolitana 18. Iunii 1626. & 9. Octobris 1629. 4. Syluester v. Immunitas 3. n. 2. versu Primum Iudæus. Barbossa Iuris Eccl. vniuer: Lib. 2. cap: 3. n. 44. vbi allegat S. Congr. controuer: Iurisd: præpos.

COROLLARIVM IV.

Etsi confugientes ad Ecclesiam Rei exceptorum criminum non gaudeant Immunitate, extrahi tamen inde per Iudicem Secularem nequeunt, nisi de licentia Episcopi, aut Officialis eius; vel Conseruatorum si locus sit exemptus: talesque extradendi poni debent in Carcere Ecclesiastico, donec per Episcopum cognoscatur, an crimen quod obiicitur exceptum commiserint. Quodsi delinquentes sint Clerici Regulares cuiusuis Ordinis aut Militiæ, & Sancti Ioannis Hierosolymit: tales nec extrahi, aut carcerari, vel inquiri de criminibus ad forum Ecclesiasticum spectantibus, per Secularem potestatem possunt.

d. Constit. Gregorii XIV. Cum alias.

COROLLARIVM V.

PÆnæ violantium Immunitatem Localem Ecclesiasticam respectiuè iniustè abripientium Reos ab Ecclesia variæ sunt in Iure. 1ma De iure Ciuili est capitalis. (1.) 2da De Iure Canonico pecuniaria nongenti videlicet solidi. (2.) in vim mulctæ

Episcopo soluendi. (3.) 3tia quod violator Immunitatis immunitate non gaudeat. (4.) 4ta publica pænitentia Ecclesiastica arbitrio Episcopi taxanda. (5.) 5ta Excommunicatio ipso facto incurrenda, quam reseruatam Summo Pontifici dicunt. (6.)

1. L. 2. & L. Præsenti. C. De his qui ad Ecclesiam. 2. Solidus in Iure pro aureo sumitur, 72 autem aurei libram auri conficiunt. L. Quoties. C. De suscept. 3. can. Si quis contumax. 17. Q. 4. 4. can. Frater. ead. cau. & Q. 5. d. can. Si quis contumax. 6. d. Constit: Gregorii XIV. Cum alias. Barbosa de Off: Episc. par: 3. alleg: 50. n. 186. vbi Decretum S. Congreg.

CONCLVSIO V.

EX loco asyli legitimè extraditus, non potest per Iudicem propriũ criminalibus pænis ordinariis affici.

d. can. Id constituimus. 17. Q. 3. Nicolaus 1. ad consult: Bulgar: Concil: Mogunt: c. 39. & d. Concil: Aurel:

COROLLARIVM I.

COnfugiens ad Ecclesiam, si inde exeat cum saluo conductu, & carceretur à Curia Laicali, est restituendus.

S. Congreg. Imm. in Arminen: 3. Mai 1628.

COROLLARIVM II.

INcarceratus, dimissus die Solenni ad Ecclesiam, præstito iuramento, de redeundo in carcerem; si redire nolit, non potest restitui aliter Iudici, nisi cautione ab ipso præstitâ, quod dimissus non punietur criminaliter.

Abb: in c. 6. in fine.

COROLLARIVM III.

CRimen confugientis ad Immunitatem Ecclesiasticam, non manet inultum, sed subiacet pœnæ pecuniariæ, vel alteri

satis-

ſatisfactioni, tum in foro pœnitentiali ad agendam pœnitentiam tenetur.

gloſſ. in d. c. Inter alia. V. Puniendus. ibidemq; Abb: n. 3.

COROLLARIVM IV.

CVm hæc enixa ſit voluntas Sacrorum Canonum & Legum ne Reus ad Eccleſiam confugiens damnum in vita & mẽbris ſuſtineat; ideo Iudices Seculares, non tantùm ſaluâ iuſtitiâ poſſunt, quinimò tenentur pænam corporalem remittere dimiſſis, ne hoc Priuilegium Immunitatis inutile ſit Reo, aut Eccleſiis oneroſum, ſi eundem ſeruare debeant diutius.

Couaruu. var. reſol. Lib. 1. cap. 2. n. 16. in fine, Farinac: De Imm. Eccl: n. 301. Barboſſa in Collect: ad d. c. Inter alia n. 34. Clarus Lib: 5. Sent. c. 30. n. 5.

COROLLARIVM V.

AN verò Eccleſia facinoroſo ad ſua ſepta confugienti, immunitatem à pænis ordinariis tribuens in foro fori; eandem mortuo, ibidem ſepulto præſtet, in foro Poli?

Deciſio eſt in can. Illud. Diſt. 40. cuius ſumma. Gratia, non locus ſaluat animam. In can. Quibus. 13. Q. 2. cuius itidem ſumma. A ſacris locis non iuuantur poſt mortem, quibus peccata non ſunt dimiſſa. In can. Cum grauia. ead. cau. & Q. vbi textus. Nam quos peccata grauia deprimunt, non ad abſolutionem potius, quam ad maiorem damnationis cumulum eorum corpora in Eccleſia ponuntur. Gregorius 1. Lib: 6. Epiſt: 29. Locus non facit ſanctum ſed meritum.

LAVS DEO Optimo, Maximo, Deiparæ immaculatè conceptæ, Sanctiſque omnibus debitus honor.



SVB RECTORATV

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Reuerendi Domini,

D. M. FRANCISCI, IOSEPHI,

PRZEWOSKI,

S. TH: DOCTORIS & PROFESSORIS,

Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. OMNIVM Crac: PRÆPOSITI, Scholastici Curelouiensis, ad S. FLORIANVM Canonici, Contubernij Hierosolymitani Prouisoris, per Diæcesim Cracouiensem Ordinarij Librorum Censoris, S. R. M. Secretarij, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Studij Generalis

RECTORIS.